



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Articulus III. De violatoribus Ecclesiarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)

ARTICULUS III.

De violatoribus Ecclesiarum.

damnum à se factum, esse duntaxat declarationem juris naturalis, quemlibet obligantis ad compensationem damni, actione injusta à se causari; & in c. statim sequenti, decerni poenam, ut tres annos poeniteat, qui domum, vel agrum alicujus incendit.

Not. 3. in c. 19. de sententia excommunicationis, haberi, incendiarios, ex quo per Ecclesiae sententiam publicati sunt, pro absolutionis beneficio esse mittendos ad sedem Apostolicam, in c. 14. 17. q. 4. incendiariis Ecclesiarum statui poenitentiam per quinquennium, damni reparationem, & sui pretii in pauperes distributionem. Extenditur autem haec constitutio in c. 32. 23. q. 8. etiam ad mandantes Ecclesiae incensionem, & scienter ad hoc dantes consilium, vel auxilium; additurque ibidem poena excommunicationis ferendae, & privatio Christianae sepulturae, si satisfactione non data decesserit, ac demum mora per unum annum in Dei servitio Hierosolymis, vel in Hispania. Sed de his poenis, & poenitentis publicis V. dicenda in tit. de poenit. & remiss.

983 De Jure civili poenae incendiariorum variantur pro diversitate personarum incendientium, vel retum incensarum. Nam l. 9. ff. de incendio, *vinciti*, ac *verberati*, *igne necari jubentur*; l. 12. §. 1. eod. dicitur, *se humiliores sint*, solere bestiis objici; *se in aliquo gradu, capere plecti*, aut in insulam deportari l. 10. ff. ad L. Corneliam de sicar. *mitius puniri*, qui extra oppidum incendit, quam qui intra oppidum; cum hoc sit magis periculosum, & paci publicae adversum. Quae verò statuuntur in ord. crimin. Carolin. videri possunt a. 125. quae (jubens incendiarios malitiosos, *vivos exuri*) cum utatur magna verborum generalitate, nullum facit discrimen inter plebejum, & nobilem, sicut nec inter marem, & foeminam, quoad poenam ibi statutam.

984 **V**iolatio Ecclesiae idem est, ac pollutio, seu contaminatio, quando scilicet Ecclesia indiget reconciliatione, juxta sacros canones. Quibus autem modis Ecclesia, sive consecrata, sive non consecrata violetur, eruditè tractat Azor p. 2. lib. 9. c. 5. Vide Sanchez lib. 9. matrim. d. 15. & Suarez tom. 3. in 3. p. d. 81. sect. 4. Est discrimen inter execrationem, & violationem loci sacri: nam *Execratio* datur, quando res amittit consecrationem, ita, ut iterum consecrari debeat. *Violatio* autem, quando polluitur, ita, ut solà reconciliatione indigeat. Sed in praesenti non agitur de violatoribus Ecclesiarum committentibus ejusmodi violationem; nec accipitur hic Ecclesiae violatio pro ea, quae fit violando immunitates ac exemptiones, quibus gaudent Ecclesiae intuitu Religionis, ac reverentiae loco sacro debita.

Hoc igitur loco *Ecclesiae violator* dicitur 985 tur, quicumque ipsam Ecclesiam, frangendo ostia, capiendo res sacras, & invadendo, offendit, ut notat Pereyra in E. lucid. sermonis Theologici, canonici, & civilis. n. 847. in fine. *Violatio* igitur, prout hic accipitur, supponit pro contractione, spoliatione, & ejusmodi actionibus violentis inter ipsas Ecclesias factis. Tales violatores subeunt easdem poenas, quas earum incendiarii, ut liquet ex cit. c. *conquestus*. Et in specie de excommunicatione lata sententiae constat clarè ex illis verbis c. *conquestus* ibi: *excommunicatos nuntietis*. Illa porro violatio, ut subjiciatur his poenis, exigit spoliationem *vi factam*, per effractionem violentam &c. adeoque non nudum furtum, de quo in sequentibus.

